



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

## *REGIO CAMPANA\**

### CAMPANAE REGIONIS ECCLESIARUM NOVA DISPOSITIO

Quamquam Ecclesia sancta primum omnium Christi verbo atque Sacramentis vivit, nullus tamen non videt aptiorem finium Ecclesiarum dispositionem magna commoda atque utilitatem afferre posse. Quae nimirum rerum compositio, cum singularum dioecesium aut Provinciarum unitati studeat, sive necessitudines omnium ordinum fidelium nectit, sive virium inutili iacturae parcit. Cuius rei causa, cum sacri Regionis Campanae Antistites, de augendo bono Christi fidelium solliciti, iam, normis Decreti Sacrosancti Concilii Vaticani II « Christus Dominus », n. 40, obsecuti, ab hac Apostolica Sede postulaverint ut Provinciarum ecclesiasticarum suae Regionis fines recognoscerentur, Nos, bonum animorum unice spectantes, post auditos Episcopos quorum interesset, haec statuimus atque decernimus. Regionis Campanae dioeceses quae adhuc Apostolicae Sedi subiectae fuerunt, iam Provinciae viciniore aut opportuniore aggregentur, nempe iuri metropolitano Archiepiscopi ad normam sacrorum canonum subiectae. Provinciae vero ecclesiasticae Compsana, Capuana et Surrentina exstinguantur. Qua re compositio Provinciarum ecclesiasticarum Regionis Campanae haec erit : Metropolitana Ecclesia Neapolitana constabit suffraganeis Ecclesiis Acerrarum, Isclana, Nolana, Puteolana; Capuana et Surrentina, nec quidquam de earundem archiepiscopali dignitate immutetur ; Aliphana, usque adhuc metropolitanae Ecclesiae Beneventanae suffraganea ; Caiacensi, Calvensi et Theanensi, Casertana atque Suessana, hucusque metropolitanae Ecclesiae Capuanae suffraganeis ; Castri Maris, antehac metropolitanae Ecclesiae Surrentinae suffraganea ; Aversana et Praelatura Pompeiana, usque nunc Sanctae Sedi immediate subiectis. Metropolitanae Ecclesiae Beneventanae erunt suffraganae Ecclesiae : Arianensis, Abellinensis, Sanctae Agathae Gothorum, Thelesina ; Compsana, quae archiepiscopalem dignitatem servabit ; S. Angeli de

Lombardis, Bisaciensis et Laquedonensis, usque nunc metropolitanae Ecclesiae Compsanae suffraganeae ; Nuscana, antehac metropolitanae Ecclesiae Salernitanae suffraganea ; denique Abbatia Montis Virginis, hucusque Sanctae Sedi immediate subiecta. Metropolitanam Ecclesiam Salernitanam constituent suffraganeae Ecclesiae : Acernensis, Dianensis, Nucarina Paganorum, Policastrensis et Vallensis in Lucania ; Amalphitana, usque nunc Sanctae Sedi immediate subiecta, quae Archidioecesis titulum servabit ; Campaniensis, Cavensis, Sarnensis et Abbatia SS. Trinitatis, hucusque Sanctae Sedi immediate subiectae. Ad haec autem perficienda Venerabilem Fratrem Nostrum Conradum S. R. E. Cardinalem Ursi, Archiepiscopum Neapolitanum, legamus, cui omnes facultates agenda rei facimus, quas poterit idem etiam alii subdelegare, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto. Re vero acta, idem Venerabilis Frater Noster documenta exarari faciet, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittenda curabit. Contrariis nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri.*

AUGUSTINUS CASAROLI <i>a Publicis Ecclesiae Negotiis</i>	SEBASTIANUS Card. BAGGIO <i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>
---	---

Iosephus Del Ton *Protonot. Apost.*  
Godefridus Mariani, *Protonot. Apost.*

---

\*AAS, vol. LXXI (1979), n. 8, pp. 562-563.